16

convocatis regni principibus eundem Henricum, imperatoris
filium, quamvis adhuc puerum, de beneplacito imperatoris
unxit in regem Alemannie; quem quidem ipse nutriebat ut filium,
et tamquam dominum honoravit. Tanta autem fuit per univer-
sum regnum pax in diebus suis, ut antiqua Augusti tempora
crederentur. Predictus tamen imperatoris frederici II filius
inter reges non computatur F. Nam ipse adhuc adolescens accu-
satus apud patrem de rebellione, captus per patrem b) et in Appuliam ductus, ibidem decessit,
squalore carceris suffocatus. Factum est autem, quod cum frede-
ricus comes de Ysenberghe, dicti domini Engelberti Archiepiscopi
consanguineus, advocatia regalis ecclesie Assindensis tyran-
nica abuteretur crudelitate, Ipse dominus Engelbertus receptis super
hoc mandatis apostolicis Domini Honorii pape et frederici impera-
toris monuit supradictum comitem, ut a sua desisteret tyran-
nide, prefata advocacia legitime uteretur. Quibus monicioni-
bus idem comes exacerbatus, quodam tempore, dum prefatus archi-
episcopus in via prope villam dictam Scelme incederet, sequenti
die ibidem ecclesiam consecraturus, ipse comes instinctu
dyabolico a) eundem archiepiscopum nichil tale suspicantem
viginti octo confossum vulneribus crudeliter interfecit. Post quod execrandum
facinus dictus comes velut alter Cayn undique vagus et pro-
fugus diffugiens, nusquam potuit esse tutus. Castro quidem
dicto Ysenbergh, quod tamen inexpugnabile videbatur, per
successorem domini Engelberti interfecti expugnato et solo
tenus diruto atque confracto nec unquam postmodum reparato, quod quidem usque hodie
ruine eiusdem attestantur, in ulcionem sanguinis venerandi
pontificis supradicti. Deus autem, cuius est undique vindicta,
et ipse retribuit et taliter ordinavit, quod predictus comes sacrilegus
prius pontificis interfectus eodem fere die post annum elapsum,
quo idem pontifex mortuus cum luctu omnium Coloniam
est invectus, dictus comes iam captus cum gaudio multo-
rum per portam alteram civitatis oppositam vinculatus
est introductus, et post triduum sententia mortis in ipsum
lata, per ostium portam civitatis, quae dicitur sancti Severini, adcam-
pos eductus, confractis tormentabiliter cruribus et bracchiis
suis et omnibus membris miserabiliter distractis, supra rotam
positus, in monticulo iuxta viam regiam, prope cuius usque F
in presens apparent vestigia ad miserum transeuntium
spectaculum, est tormentabiliter elevatus. Plurimi quoque
ex eiusdem satellicio postea in brevi morte pessima perierunt, et quod
dignum relatu duximus annotandum, omnis eiusdem sacrilegi

F quia ad regni administrationem non pervenit. a)

a) q. a. r. a. n. p. desunt 2. 3.

b) d. r. c. p. p. desunt 2 3

a) ~~deest 1. 2 (qui legit tyrannica)~~

a) ~~dyabolica 1.~~

eiusdem

F [verticem a)]

a) ~~Tale quid~~ ~~[illegible]~~ ~~excidisse videtur;~~ codices tamen omnes omittunt. Pro prope 2. 3 habent ipse